



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Mammas M. 17. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Iulii.
Prin-
nam
um,
num
o re-
n in-
tiām

quam
tan-
Bern.

alliā,
etatis
opes
com-
dum
agnā
uitati
nitus
effet,
oxam
triā
cum-
cane
nem,
st ini-
mpora
usque
carce-
ere se-
elite-
scit.

17. Aug. VITÆ SANCTORVM. 399
scit. Tandem cùm nomen tabulæ suum inscripsis-
set, simul amplam sponsonem, quâ cælum omni-
bus peste correptis medicinam ROCHI interces-
sionem fore edixerat, peste ipse Medicus pestifero-
rum decedit. Sed tanti fuit, ut liber animus è ge-
mino carcere evolaret. Ex Lippeloo.

Quomodo tenebas sacculum, ne tibi extorqueatur à
fure, sic custodi innocentiam, ne tibi extorqueatur à
diabolo; sit illa certum patrimonium tuum, de qua sunt
divites & pauperes. Quid tibi prodest lucrum auri, &
damnum innocentia? ergo custodi innocentiam. S. Aug.
serm. 3. sup. ps. 36.

S. MAMMAS M. 17. Augusti.

Qui puerum MAMMANTEM Martyrem mira-
ris, noveris lac Martyris bibisse. In carcere
quippe natus primas cunas vincula habuit, pri-
mum ridere inter utrumque parentem mortuum
visus est, cùm pater ante ejus ortum, mater non
multò pòst obiissent. Talem matronæ commen-
davit Angelus educandum. Mox cùm annum age-
ret quintum decimum, virum jam se tyranno &
contra verbera Spartanum, contra ignes Roma-
num præbuit. Undis deinde suffocando iterum
Genius Tutelaris adfuit, actisque in fugam torto-
tibus Martyrem in montem duxit. Hic genero-
sus puer tot jam penè nutrices, quot silva feras nu-
meravit; cùm hæ ultrò Divi mulgentis manum
ambirent, iisdemque deliciis & famem nobilem
& sitim pellerent. Atque hujus miraculi fama cùm
aures Præsidis pulsasset, equites misit, qui MAM-
MANTEM sisterent. Exceptit MAMMAS ignaros,
primumque lacte & caseo, tum ipse ferarum spe-
ctaculo recreatos in urbem est secutus. Iterum er-

go

400 VITÆ SANCTORVM. 17. Aug.

go plagis sævitum, sed quas inter rideret MAMMAS; iterum fornax succensa, sed in quâ quartum puerum Babylon agnosceret. Feris quoque cum objectus esset, ursus pardusque sudorem Athletæ abstergebant; leone interim, qui comes Martyri è monte iverat, in carnifex grassante. Denique tridente confossus MAMMAS ilia effusa extra urbem extulit, & moriturus ipse sepulchrum speluncam subiit. Ex Metaphr.

Terram nesciat, amorem carnis ignoret, nihil in sevitii licere permittat, qui se Dei filium credit; actu, virtute, moribus, tanto generi respondeat; ne iterum ad terrena descendens ad tantigenitoris tendat injuriam. S. Pet. Chrys. serm. 68.

SS. PAULUS & JULIANA MM.

17. Augusti.

PTOLEMAIDEM urbem Aurelianus Imperator ingrediebatur, Christianos, si ita Diis placet, triumphatus; cum inter effusos obviam cives PAVLVM conspexit signo Crucis contra minas improbas se armantem. Primum igitur impetum Tyrannus in hunc fecit, suspensumque cædi atrociter imperavit. Interea Soror PAVLÆ adebat JULIANA geminâ planè virtute, & iisdem armis in hostem armata. Ea verbis pro innocentia germani pugnans acriter in tyrannum invehitur. At hic eodem supplicio jubet affligi. Sed aërem verberabant carnifex. Hinc in liquatam flammis picem mituntur; sed ingressos Bajas crederes. Mox in feras imponuntur ab igne subiecto ardentes; sed illi inter pœnas has verè otiosi assidebant. Ergo in carcerem compinguntur fame longâ expugnandi. Sed ecce nocte intempesta Angelus adest & ex-

pe-